



MASTRII
IN
PRIM.
SENTENT.

BX1750
.M38
1719
v.1
c.1



1080045057

23

R. P. E.
BARTHOLOMÆUS
MASTRIUS
DE MELDULA
In Quatuor Libros
SENTENTIARUM.

230.2



R. P. F.
BARTHOLOMÆUS
MASTRIUS
DE MELDULA
In Quatuor Libros
SENTENTIARUM.

49417

R. P. F. BARTHOLOMÆI

MASTRII
DE MELDULA

Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci Theologi

DISPUTATIONES
THEOLOGICÆ

In Primum Librum

SENTENTIARUM.

Quibus ab adversantibus, tum Veterum, tum Recentiorum jaculis.

SCOTI THEOLOGIA VINDICATUR.

EDITIO NOVISSIMA, A MENDIS EXPURGATA.
Et Indicibus Necessariis locupletata.



VENETIIS, MDCCXIX.

Apud Michaelem Hertz,
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

R. P. F. BARTHOLOMÆI

M A S T R I I
D E M E L L U L A

Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci Theologi

D I S P U T A T I O N E S
T H E O L O G I C A E

BX1750

• 1138

1719

In Primum Librum

S E N T E N T I A R U M

Quibus ob adversarios, tam Veteres, tam Recentiores, factis

S C O T T I T H E O L O G I A V I N D I C A T A

EDITIO NONNIMA, A MENDIS EXPURGATA.

Et Instructio Theologica



V E N E T I A E M D C C X I X

Aud. Missione. Hæret.

Superiorum Permissu, ac Privilegio.



A D

L E C T O R E M.



POST invulgatam naturalem Philosophiam, atque Meta-physicam, Sacram, ecce, Theologiam tibi paro; jamque primum Sententiarum librum exhibeo, secundum propediem daturus; singulos Theologicos tractatus, eorumque singulas quæstiones adamussim, ut in Philosophia factum est, non contexi; Tum quia plurimæ sunt, de quibus nulla, vel modica extat in Scholis controversia; tum quia, in nostra, non ea erat necessitas Theologiam conscribendi omnibus, & singulis tractatibus, quæstionibusque contexam, ut de Philosophia fuit; quandoquidem ex nostris plures, & Veteres, & Juniores, Theologica quæque sigillatim tractaverint ad quatuor Sententiarum libros spectantia, non sic Philosophica. Solas igitur principales cujuscumque præcipui Theologici tractatus controversias selegi, ac plurimas successu temporis quæstiones de novo exortas, quæ proinde hac tempestate uberiorem posscebant tractationem. Ordinem quoque, & connexionem disputationum, ac quæstionum adinvicem, nec penitus dimisi, nec inviolatè servavi, sed quantum ad confusionem vitandam satisfuit. Philosophicos tractatus, non inlero, verùm ad sua loca me refero in Philosophia jam edita, nisi interdum occurrat occasio respondendi Auctoribus, qui mea Philosophica impugnarunt, vel Metaphysica. Qua de re, cum Pater Poncius in suo Curso Philosophico, denuò Parisiis recuso, plures insererit additiones, quibus, vel plura mea oppugnat, vel plura sua propugnat, à me jam pridem in Metaphysica rejecta, ego quoque prout occasio postulat, replicare cogor, non sanè contentionis æstu, vel libidine motus propria tuendi, sed solius veritatis gratia aperiendæ.

At nedum ex nostris, qui typis sua pervulgarunt, Ferchius, Poncius, Gallus, & alii, sed nonnulli etiam in manuscriptis calamum in me strinxerunt; Etenim cum Patavii in nostro D. Antonii Collegio Regentis munus obirem, P. Vicarius, olim illius Universitatis Metaphysicus, dum Junioribus quibusdam Logicæ, & Physicæ initia legeret, quædam mea ad eas facultates spectantia, tunc temporis edita, impugnavit, ut minus Scoticè dicta, quibus, esto non semel in publicis disputationibus Patavii habitis, voce tenus satisfecerim, numquam tamen in operum meorum recusione respondere curavi, quandoquidem, nec majori reflexione dignas, illas objectio-

nes

nes censui, nec meae intentionis unquam fuit, contra me manuscriptis occurrere, sed in lucem emissis. Casus tamen tulit, ut quidam praefati Patris Metaphysici discipuli, coetanei mei, post ejus obitum, scripta illa proprio nomine typis tradiderint, sub titulo *Disputationum Philosophicarum, in quibus cum Scotistis, & aliis Auctoribus, quos Meldulensis, & Catanensis sequuntur, praecipue disputatur* &c. paucis ex proprio penu additis, frivolis omnino, & ludicris, quae proinde penitus neglexi, & responsione prorsus indigna statui; quandoquidem, qualis, & quanta sit eorum literatura, facile conjici possit; Tum ex ipsius opusculi titulo, in quo disputationem indicunt Scotistis, & aliis Auctoribus, quos ego sequor, cum tamen in toto Disputationum decursu, praeter Meld. & Cat. nullus alter Scotista, vel Auctor citetur, nisi semel, vel bis; non quod eos viderint, sed quia à me citatos repererunt; Tum ex ipso ridiculo themate insulae illorum elegiacae Epistolae ad Lectorem, in qua, specie quidem tuendae genuinae Scotiae doctrinae, re autem ipsa livore ducti, meam, ut novitatis amantem aspernantes, prima pariter Grammatices rudimenta aspernantur, hoc ipsum deponens verbum cum activo confundentes; novas, & barbaras voces pro Latinis comminiscentes, v. g. *plagat pro vulnera inferre, quemadmodum Laurentius Lucensis in sua Amalthea Onomastica advenit agens de vocibus verè Latinis, & Latinobarbaris &c. facellas, pro faculas, & similes*; Hic planè cadit illud Horat. *Spectatum admissi risum teneatis amici*. Apagè, in quo Dictionario invenitur, quod *facella* tedam significet? planè vox haec Latine prolata, aut nullam significationem habet, aut solum indicat vas acetarium, quemadmodum apud Passeratium videri potest. Quare, si nos Scoti, nomine tenus sequaces (ut Vitiligatores illi criminantur) in nostra Philosophia facellas paramus, hoc utique factum erit, non pro Scotis exequiis, verum ad nares eorum, & tempora aceto respergenda, ut emortui ipsorum spiritus, in Scoti intelligentia paululum reviviscant. Itaque si juxta Arist. praescriptum contra Philosophiae principia negantes disputandum non est, quo pacto cum negantibus, seu potius prima Grammaticae rudimenta nescientibus, Viro gravi, & cordato disputare licebit? planè illos indignos cenae, ut ab eo, ne quidem per modum acceptae injuriae propulsandae, unum verbum amarulentum extorqueant, quandoquidem eorum nugis, & dictoriis, honorari potius, quam onerari, Vir gravis censendus est: sed potius hortandi sunt, ut Grammaticis Institutionibus, & Logicis, sedulo incumbant, ac Pontem longum, & arctum Asinorum, à Dialecticis pro tardioribus ingeniis erudiendis institutum, tuto pede trajicere discant, ut Barbarissimos in loquendo, ac Solocissimos in discurrendo evitent.

Imò quod magis mireris; quidam etiam ex ipsis discipulis meis (adeò uniuersique in proprio abundat sensu,) dissimulata omnino Magistri, ac discipuli relatione, me provocare tentarunt, ut fortè, vel ex hoc solo ausu gloriam captarent, quod contra Evangelicum Consilium, supra Magistrum adhuc viventem, & scribentem sapere voluerint; Ediderunt tamen hi, & illi, Libellulos adeò graciles, & exiguos, ut si ab eis demas, quae ex me referunt, non elidenda, sed eludenda, in nihilum ferè redigantur, & jure dubitare queas, an sint minores quantitate molis, vel virtutis; Et quamvis, id fecisse protestentur ad prolixitatem vitandam, quam in meis scriptis abhorrent, suspicantur tamen alii breviter hanc, ex necessitate potius ortum duxisse, quam ex delectu; Libellulos, inquam, qui neque apud nostros gratiam invenire potuerunt, utpote factiones, rixasque fraternas aegrè ferentes, neque apud externos, utpote tricas nostras circa Scoti intelligentiam parum curantes. Priores itaque omnino negligo, utpote qui se Picos existimantes,

Picae

Picae sunt alienis vocibus crocitantibus; & cum posterioribus ex instituto non congregior, nisi quantum fas est Magistro differere cum discipulo, qui utinam mecum disputando vicissent, nam *gloria Patris est Filius Sapiens*; sed quantum aberraverint terminis utentes, quos à me non didicerunt, suis constabit locis. Quadrat appolite in rem nostram historia, quae legitur Machab. 1. cap. 5. de Josepho & Azaria, qui cum res bene gestas audissent, & praelia strenuorum militiae Ducum Judae & Jonathae, dixerunt, *faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare adversus gentes, quae in circuitu nostro sunt*, sed ita cum hoste signa contulerunt, ait scriptura, quod *fugati sunt Josephus & Azarias, quia non audierunt Judam, & Fratres eius, existimantes fortiter se facturos, ipsi autem non erant de semine virorum illorum per quos salus facta est in Israel*. Praelium, & praelum, sola dissident littera, quare sicut plures potius temeritate ducti in praelium ruunt, quam fortitudine, ita & in praelum, existimantes fortiter se facturos, etiam si non sint de semine virorum, fortè, se, Alexandros arbitranes.

Quod autem ad prolixitatem attinet, quae mihi ab his laconicis Scriptoribus objicitur, lacesitus, sic eos alloquor: Ut quid de brevitate gloriae? brevitatis haec vestra, non ex delectu, vel indolentia, sed ex necessitate vobis obvenit (ut ajebam) siquidem, non cum densò Adversariorum agmine manum conferitis, at in Castris, Civiles rixas suscitantes, cum uno, vel altero Scotista commilitone garritis, nulla prorsus ratione suffulti, sed pura nostri Doctoris auctoritate perperam intellecti: deficientibus ergo disputandi materia, & adversario, ex penuria, non ex penu breves estis, & concisi, mecum ex invidentia potius contendentes, quam ex aemulatione, quae est inter pares, quod si ex aemulatione contenditis, justa Apostolicum Consilium *Aemulamini charismata meliora*. Cur si vires suppetunt; si cor animis inest; si gloriae cupidi estis, adhuc in Castris moramini desides, ac otio torpentes, solis civilibus jurgis contenti? Egredimini tandem faciem Adversariis ostendite, nostrosque progenitores imitamini, domesticis dimissis contentionibus confertas hostium phalanges strenuè adorimini; tuncque non amplius steriles, & concisi, sed uberes eritis, secundi, & facundi, si frequentibus eorum incursums occurrere volueritis, atque solutiones rationum nostrarum infringere, quando quidem id levi brachio fieri nequeat, nec uno, vel altero verbo. Profectò in ea semper fui sententia, ut *melius sit dicere fusè, quam confusè*; si ergo brevitatis, & sterilitatis confusionem parit, & obscuritatem, juxta illud Poetae: *Dum brevis esse volo, obscurus fio*, ubertas utique sterilitati, prolixitas brevitati preferenda est; Quamquam, ut verum fatear, non omnes prolixitatem à brevitate discernere norunt; non enim ex sola verborum structura una, vel altera pensanda est, sed ex materiarum difficultate, vel facilitate, circa quas disputatio vertit, & ex Auctorum numero, vel pondere, cum quibus differitur. Hinc Augustinus in expositione Psalmi 18. locum obscurum enucleaturus inquit: *Itaque si hoc planum esset, unum aliquid audieritis; quia verò obscurè dictum est, multa audituri estis*, etiam si ab initio dixerit; *Psalmi textum breviter percurramus*, quo palam innuit, cum verborum pluralitate, etiam interdum brevitate consistere posse.

Ego planè eundem scribendi modum prosequor, quem in Philosophia coepi, esto profusior, quia materia amplior, & uberior; non enim cum uno, vel altero Adversario congregior, sed cum praecipuis, & Veteribus, & Recentioribus; neque unam, vel alteram eorum, aut objectionem solve-re, aut responsionem infringere profiteor: sed ferè singulas singulorum, tum Thomistarum, tum Nominalium, ac Neutralium; Neque hanc differ-